









47  
IN NOMINE JESU!

EX  
PHILOSOPHIA NATURALI  
De  
**MEMORIA,**  
Præsertim  
**LABILI,**

ADJUVANTE DEO OPT. MAX.

*SUB PRÆSIDIO*

**D. N. M. JO. HIERONYMI  
DE WEDIG,**

HALA - SAX.

**INCLYTI PHILOSOPH. ORDINIS**

**ADJUNCTI MERITISSIMI,**

**FAUTORIS & PRÆCEPTORIS SUI**

*ÆTATEM COLENDI,*

**PUBLICÈ DISPUTABIT**

**JO. SIGISMUNDUS GVALTHER,**

**POL-ILMA - SCHWARZB.**

**A. & R.**

**D. IV. APRIL. HOR. POMERID.**

**A. c 1 c 1 c XCI.**

**WITTENBERGÆ,**

**Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Academ. Typogr.**



4  
VIRIS

SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO  
EXCELLENTISSIMO QVE,

DN. JUSTO SÖFFINGIO,

SS. THEOL. Doctōri celeberrimo, Ecclesiarum Rudolfo-  
politano - Schwarzburgicarum Ephoro Generali longè meritissimo,  
Consistorii, quod ibidem floret, Assessori Primario, Rudolfopolitanae  
Scholæ Provincialis Theol. Professore Publico, ejusdemq̃,  
ut & Alumnorum Inspectori gravissimo,

*Domino ac Mæcenati suo Maximo.*

Ut Et

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE  
EXPERIENTISSIMO

DN. MICHAELI GRAMMANNO,

Med. Doct. celeberrimo, Magni Moscorum Principis Ar-  
chiatro splendidissimo, Practico apud Pol - Ilmanos  
felicissimo, &c.

*Domino Patrono ac Promotori suo  
æternam venerando.*

Nec Non

DN. PARENTI SUO,

Filiali obsequio ad Cineres usq̃ve colendo,

*Primitias has Academicas*

Pro insigni favore ac beneficiis ex debitâ observan-  
tiâ, & filiali amore

D. D. D.

AUTOR - RESPONDENS.





JESU JUVVA!

§. I.

**N**on eandem omnibus, vel sensu tantum, vel ratione etiam gaudentibus animantibus, contigisse memoriam, quin feliciorum aliis, aliis infeliciorum, à naturâ tributam esse, nemo, opinor, facile contraveniet, & ab experientiâ, irrefragabili harum rerum teste, plus satis confirmatur.

§. II.

Sic bruta inter spurcissimum illud suum genus, præ cæteris memoriâ multum valere, *Ælianus* eleganti firmat historiâ, quam ex eo *B. Sperlingius* refert. Sed & accipitres, ciconiæ, hirundines, elephanti, leones, equi, canes, simiæ, feles, imò & stupidum istud pecus Arcadicum, à memoriæ suæ præstantiâ hinc inde dilaudantur. Illud super reliqua notabile, nonnulla bruta, inde à tenerâ juventute, bonâ frui memoriâ, uti in equorum pullis, & paucis aliis, advertere licet. Ipse recordor, aliquoties mihi narratum esse, ante hos decem circiter annos, quosdam ex vicinô huic urbi pagô rusticos, poma furtim ex horto quodam auferre voluisse, sed ἐπὶ αὐλοφώρῳ ferè deprehensos, & in fugam propterea coniectos, pullum equulum, quem secum unâ cum matre, ut fit, adduxerant, præter opinionem reliquisse. Hunc postea comprehensum, eos ducem secutos esse, quæis furtô poma ablata fuerint, absque eò rectâ ad dominum viâ perductos, hunc verò sic furti reum factum, & ad

A 2

de



debitas furi poenas pertractum esse. Sic felix bruti huius memoria turpem possessori memoriam conciliavit. At enim verò quò præstantior, firmiorque memoria in his & similibus, eò debilior, labiliorque est in aliis. Sic picis atque psittacis modicam planè ac brevem memoriam *Aristoteles* adscribit. Piscibus *Basilius* eandem prorsus denegat, cui etsi *Augustinus*, cumque eò *Thomas* contradicunt, inter imperfectiora tamen animalia (etsi prorsus imperfecta non sint,) pisces referunt, sicque tantam, quantam aliis brutis, memoriam iis assignare, vix sustinent. Muscas autem & similes vermiculos imbecilli penitus, & ferme nullà, memorandi facultate præditos esse, nemini, opinor, dubium esse potest. Videmus enim quisque, eosdem ex latibulis suis egressos huc atque illuc curitare & volitare, nec frustra plerumque foraminula sua, & quæ modò deseruerant, domicilia non quærere.

### §. III.

Sed ne cum hominibus quidem comparatum aliter esse, divinus jam *Plato* animadvertit, inque hoc discipulum ex asse consentientem habuit, à doctrina Præceptoris aliàs sapiusculè abhorrentem. Nec experientiæ testimoniis hæc res destituitur. Videas siquidem aliis promptam, aliis tardam, aliis fragilem, aliis firmam tributam esse memoriam. Neque enim omnes *Hortensii* nascimur, vel *Hippiæ*, sed & *Catoxes* *Cleantbesque* gignimur; quorum illi, cum plurimis aliis, ab admirandâ memoriæ felicitate, hi à miserandâ ejusdem tarditate, ex antiquorum monumentis nobis innotuere. Nec omnibus *Themistoclea* conceditur memoria, quæ ita tenax ac firma fuisse fertur, ut, quorum etiam voluerit, *Themistocles*, oblivisci tamen non potuerit: Sed multis etiam

CUM



cum *Claviso Sabino* tam malâ est memoria, ut notissimo-  
rum sæpè hominum nomina, (perinde ut illi *Ulixis*, *A-*  
*sbillis*, *Priami*,) ipsismet excidant, idq̄ve ob solam me-  
moriæ imbecillitatem à prima eis nativitate inhærentem.  
Aliàs ex infelici quoq̄ve casu perdi memoriam, vel aliis  
de causis mirum quantum debilitari posse, quotidiana  
itidem testatur experientia. Sic *Messalam Corvinum*,  
ex *agritudine*, nominum & sui & aliorum oblitum esse,  
ex *Plinio Scottus* refert, qui idem & alia hanc in re  
exempla cumulat. Quibus & illud ex *Thucydide* adjuu-  
gi meretur de peste quâdam Graciæ, quam ita homines  
affecisse narrat, ut omnium fuerint obliti, & conva-  
lescentes ne parentes quidem amplius, nec familiares no-  
verint. Conf. *Horstius* L. 2. Nob. Exerc. de *Animâ*  
Exerc. 8. q. 3. p. m. 167. *Seneca* verò memoriam, floridis-  
simam antea, ob *senectutis* hyemem appropinquantem,  
maximè defloruisse, ipse quæverulus testis est. In quo dispa-  
rem contrà *Senecæ* profitetur sese, editor ipsius accura-  
tissimus, *Andreas Scottus*, qui provecâ jam ætate vir,  
magnæque industriæ ac doctrinæ senex, memoriam ad-  
huc *imprimis* vigere ad *Lipsum* scribit. Paria verò cum  
*Senecâ*, imò iniquiora, fata, *Georgius Trapezuntius*, vir  
seculo XIV. Græcè Latineq̄ve doctissimus, expertus esse,  
& omnium omninò literarum in senectute oblitus esse  
vulgò dicitur. Ex oppositò, quibus in teneriori ætate  
torpere prorsus memoria visa est, ii indefinènti exerci-  
tatione, aliisque remediis ita eandem sæpè excitant, &  
excolunt, ut cum *Hieronimo Aleandro*, à multis annis  
longò silentiò sepulta, felicissimè depromant postea, &  
quod semel legèrunt cum *Clemente VI. Pontifice*, nun-  
quam obliviscantur. Quin imò, quod magis admira-  
tione dignum, felicitis istiusmodi mutationis memoriæ



infelix sæpè casus origo extitit, quod *Petraroba* & *Clerici* cujusdam exemplò *Ant. le. Grand.* & *Schottus* comprobant, qui videantur.

§. IV.

Tanta memoriæ brutorum æqve ac hominum varietas, imò & vicissitudo, ut suas quæqve causas habet, ita excutere eas, atqve penitus cognoscere, quis est, qui operæ pretium esse non autumet? Sed longiorem hæc disputationem requirunt, ingeniumqve multò præstantius, quàm à me, in primis ætatis Academicæ annis constitutò, ullus desiderare potest. Allubuit tamen, periclitari vires, & Numine adjuvante (cui primitiæ hæc Academicæ cum primis sacræ sunt!) de *memoria*, præsertim *Labilis*, naturâ paucis inquirere, & ejus causas pro ingenii modulo tradere, deqve iis, quoad nobis, in forò Philosophicò versantibus, licuerit, in medium exponere.

§. V.

Prius verò quàm rem ipsam aggrediar, moneo, me non tam 1) de *brutorum* memoriâ, quàm *hominum* traditurum esse: & horum quidem 2) non *rationali*, seu *intellectuali*, sed *sensuali*, vel, ut *Thomas* loquitur, non *intellectiva*, sed *sensitiva*; quarum illa *intellectu*, hæc *sensu* tantum perficitur. Atque hanc iterum 3) non specto, ut cum *judicio* conjuncta est, quam *Reminiscen- tiam* vocant, sed prout *judicio* contradistinguitur, nobisque cum *belluis* communis est. Sed cum & hæc dupliciter considerari queat, partim ut est *actus primus*, sive *facultas*, vel *vis*, rem antea cognitam iteratò apprehendendi; partim ut est ipse *actus secundus*, vel facultatis istius *exercitium*, adeoque actualis rerum antè notarum apprehensio repetita, sciendum 4) non tam rem nobis fo-



fore de memoria in significato posteriori, quam priori, & accepta: facultati quippe, non actui, memorandi labilitas, debilitasve propriè competit vel adheret.

§. VI.

Quod verò ad *labilitatis* vel *labilis* terminos attinet, eos in hoc negotio adhibere mihi, opinor, integrum erit. Etsi enim ii à bonis Autoribus, quod sciam, usurpati non sint, usu tamen & consuetudine eos introductos esse, & in hac materiâ à Philosophis adhiberi, nemo nescit, nisi qui tritum illud nescit: *memoria hominum labilis*. Caterùm labilitatem hanc, vel, ut magis latinè dicam, debilitatem (fragilitatem alii, nonnulli imbecillitatem, aliqui infirmitatem, item infidelitatem appellant) multò alium memoriæ defectum esse, quam eum, qui *tarditatis* aliàs nomine indigitatur, vel ex eò unicuique constare facile potest, quod hi duo memoriæ defectus ita sibi contrariantur, ut simul in unò subiecto non facile reperiantur, quin alter alterum plerumque excludat atque ejiciat. Nam quò magis *Catonis* memoria tarda erat ac difficilis, eò minus, ut *Plutarchus* in vita ejus testis est (cui simile de *Cleantbe* *Laërtius* refert Lib. VII. p. m. 459.) imbecillis fuit aut labilis. Econtrariò, quò minus tarda & stupida est memoria, eò magis plerumque fragilis est ac infirma: cujus rei causæ in progressu, nò fallor, adducentur.

§. VII.

Sed in terminis non est, cur diu hæere velimus, rem ipsam potius aggrediamur, & quæ fiat, quod rerum optimè cognitarum, tam facile sapius obliviscamur, doceamus oportet. Et cum definitionibus Logicis rem con-

fici



fici non posse ultrò fateamur, proinde omisſis iis, & tantisper ſuppoſitis, donec tota hæc diſſertatio finita fuerit, ipſum memorandi negotium explicandum ſumemus, quò ſic eò meliùs judicari poſſit, quænam labilis memoriæ cauſa *deficiens* magis, quàm *efficiens*, vera tamen & genuina, exiſtat.

§. VIII.

Scilicet memoriæ ſedem in cerebro eſſe apud omnes ferè extra dubitationem hodiè poſitum eſt: an verò totum cerebrum memoria occupet, & cum reliquis facultatibus animæ ſenſitivæ per totam ejus ſubſtantiam vagetur, atq̃ve ad eò indiviſò quaſi in illam imperiò fruatur; an verò peculiarem, propriamq̃ve & abs aliarum facultatum tribunalibus diſtinctam Regiam, poſterio-rem nempe cerebri partem, vel certum illius ventriculum ſibi vendicet? in illò quidem paucos ex aſſe conſentientes reperio. Mea hæc parum referunt, modò certus ſim, memoriam alibi, quàm in cerebro, haud reſidere. Poteram hìc in unanimi tot Eruditiffimorum, tum Phyſicorum, tum Medicorum, conſenſu totus tutuſq̃ve acquieſcere, illudq̃ve tanquam alibi jam ſatis probatum, principii cujuſdam loco, apud omnes hodiè in conſeſſo poſiti, ſupponere, & omnem ei demonſtrationem ſuperſtruere. Sed placet nunc, probationem illius ex abundanti, ingeniique exercendi cauſâ, breviffimis addere.

§. IX.

Conſtat nimirum inter omnes, memoriam ad ſenſus internos pertinere: eſſi illud omnibus non conveniat cum omnibus, num ut peculiaris quidam & ab aliis di-



distinctus sensus internus; an verò ut unius ejusdem-  
que sensus interni certus tantum gradus, vel actus; an  
denique ut famula duntaxat ac ministra Phantasiæ? Sed  
quicquid horum existat, vel habeatur memoria, mihi id  
perinde est: sufficit, eam ad sensus internos pertinere,  
speciesque, per sensus externos allatas, intra commune  
sensuum internorum organum iteratò apprehendere.  
Jam verò sensuum internorum omnium sedē & habitacu-  
lum esse cerebrum, vix quisquam hodiè dubitat, eò, quod  
clarè nimis monstratum sit, omnes omninò sensuum im-  
pressiones in cerebro, ejusdemque parte illà, quam com-  
mune Sensorium vocant, desinere ac terminari, ibidem-  
que nonnunquam continuari aliquandiu, sæpè etiam  
repeti ac multiplicari. Ratio hujus rei in eo cum primis  
sita est, quod ex cerebro (non verò ex corde, ut Ari-  
stoteles autumabat, ipsum exinde cor πρώτον αισθητικόν  
vice non simplici appellitans) omne nervorum genus  
originem suam ac propaginem ducit: Rectissimè  
hinc *Ant. le Grand. P. VIII. Instit. Phil. cap. 23. num. 1.*  
*Ambigi nequit, inquit, quin cerebrum interni sensus sit*  
*organum; cum nervi ab eo proveniant; Et sicut fila*  
*buc illuc ex colo à netrice deducuntur: Sic è cerebro ner-*  
*vi in omnes corporis partes protenduntur, quorum operà*  
*sensuum externorum motus transmittuntur.* Etenim  
cùm à summo rerum conditore eum in finem nervi a-  
nimantibus sint inditi, ut natos in cerebro spiritus ani-  
males, omnis in animali motus sensusve Autores, ad  
singulas corporis partes devehant, sicque tum motum,  
tum sensum in animalibus promoveant, atque adeò isto-  
rum ope omnes perceptiones sensuales fiant: Utiqve  
aliter esse non potest, quin quælibet sensualis impressio  
finem quasi ac terminum inveniat ibi, ubi nervi, per  
quos, tanquam canales (ut ita loquamur) ultrò citro-  
B que



quæ meant, remeantque, ortum habent atque principium.  
Quod si autem omnis sensio interna in cerebro perficitur,  
uti que & memoria, quæ certum sensationis internæ modum  
ac rationem, vel infert ipsa, vel saltem præsupponit, in ce-  
rebro sedem suam ac domicilium habere debere, palam  
est. Id quod hõc locõ erat demonstrandum.

§. X.

Quamvis autem sic cerebrum pro domicilio me-  
moria habeat, id tamen ita accipiendum non est; ac si  
omnibus omninõ cerebri partibus indiscriminatim illa  
inhæreat, & in iis actus suos exerceat: Solum namque  
corpus callosum, ejusdemque partes illæ, quæ minutissi-  
mis præditæ sunt fibrillis, id dignitatis obtinere viden-  
tur, quod ex nunc dicendis, ubi de formali memoriæ ra-  
tione, & quò pacto illa actus suos exerceat, paucis expo-  
nendum est, dilucidius constabit.

§. XI.

In quò quidem negotiõ quem sequi magis, vel de-  
ferere debeam, apertè fateor; dubius hæreo atque am-  
bigõ. Nec tamen diffiteri habeo, illam Veterum sen-  
tentiam, secundum quam *τὰ νοῦντα* cerebro, perinde ut  
figilla ceræ; quasdam sui imagines vel simulacra impri-  
mere statuuntur, capti quidem facillimam, probatu ve-  
rò difficillimam esse: Sed nec in singula Recentiorum  
verba jurarem facillè; siquidem tot hõc sensus sunt,  
quot capita: tot memoriæ delineationes, quot cerebella.  
Etsi enim in eõ conveniat inter plerosque, quod memoria  
actus suos in fibris cerebri ope Spirituum animalium, ve-  
stigia antè facta iteratõ percurrentium, exerceat: sic ut  
Cartesianis memoria ex vestigiis quibusdam, quæ spirituum  
animalium cursus inter cerebri fibras reliquerit, pendere  
dicatur; vid. *Anton. le Grand. Instit. Phil. P. V. II. c. 23.*  
*n. 6. it. Hist. nat. P. IX. art. VII. n. 1. Wallisus verò Ex. I.*  
de



de An. brut. pag. 87. 88. relictos imaginationis typos ;  
& nata inde vestigia , memoriam constituere ; nec  
minus *Malebranche* eandem in vestigiis , quæ spiritus  
animales cerebro insculpserint , consistere dicat L. II.  
de inquir. verit. cap. 5. pag. 89 ; Attamen si hos & plu-  
res alios ( omnes enim sigillatim adducere , improbi-  
res laboris esset ) accuratius inspexeris , omni ex par-  
te consentientes vix invenies. Alius enim alias fi-  
bras cerebri , alium illarum locum , aliam istarum fi-  
guram , alia vestigia , aliam eorum productionem sup-  
ponet ; ut taceam , nondum apud singulos certò con-  
stare , cerebrone , an ipsis spiritibus animalibus , res  
percepta sui vestigium imprimat : Et quæ sunt com-  
plura alia , quæ totum hoc negotium intricatum red-  
dunt ac prorsus difficile.

§. XII.

Sed cum , his nihil obstantibus , aliqua arripienda  
sententia sit , ex quâ nostra de imbecillitate memo-  
riæ demonstratio institui deinceps possit , age ! *Job.*  
*Bapt. du. Hamel* potissimum , sed ita tamen seqvar , ut  
recedendi quoque nonnunquam ab ipsius placitis li-  
bertatem mihi reservem. Supponendum itaque 1 )  
duco , memoriam cum reliquis animæ facultatibus  
primariis , non in cortice , aut parte cinerea ce-  
rebri , sed in callosa ejus substantiâ functiones suas  
exerere : idque ob eam præcipuè causam , quod  
experientia testatur , illa animantia , quæ imagi-  
natione & memoria reliquis præstant , callosam cere-  
bri partem habere ampliorem ; Ista verò , in quibus  
sensus interiores non adedò vigent , plus corticis in ce-  
rebro habere , minus verò callosæ substantiæ. Sup-  
ponendum 2 ) Candidam istam cerebri substantiam ,  
perinde ut omnes ferè viventium partes , ex infini-



tis fibrillis , five striis , ut *Willisus* præcipuè vocat ,  
constare , in quò quidem communi Medicorum sen-  
tentiâ , quinimò nonnullorum *αυροψία* , nitor. Ha-  
rum verò fibrarum , quod ex mente *Hamelii* 3) sup-  
pono , aliæ principes sunt , & in longum productæ ;  
aliæ secundariae , quæ præcipuis fibris instar lanugi-  
nis adhærescunt , ferè ut in plumis avium cernimus ,  
quarum fibræ majusculæ alias minusculas , ut ramu-  
los , emittunt. Atque hæ ipsæ minutiores & trans-  
versæ fibrillæ , sunt , nî fallor , quas *Willisus* obli-  
quas & transversas vocat , quasque ipse in cerebro ,  
secundum longitudinem dissectò , observasse se scri-  
bit in *Anat. Cereb.* nec minus ope microscopii à se ob-  
servatas esse *Malpigijs* testatur in *Epist. ad Fracassan-  
tum* , ex quâ hæc refert *Isbrandus à Diemerbroeck* *A-  
nat.* L. III. c. 6. p. 506. Sed alijs quoque experimentis  
idem demonstrant Medici , in quorum verò messem ,  
meam immittere falcem , mihi religio est.

§. XIII.

In his itaque fibrillis minutis memoriâ fun-  
ctiones suas exerere , mihi omnium verosimillimum  
videtur , eò , quod in iis non solum spiritus animales ,  
omnium optimè elaborati , versantur , atque adeò  
varias in iisdem complicationes ac figuras efficere  
queunt ; sed etiam quod ipsæ præ cæteris molles , te-  
neræ ac plicatiles sunt , hincque impressionem aut fi-  
guram certam omnium facillimè excipere possunt.  
Ita enim tota interioris sensationis ratio comparata  
esse videtur , ut percussis in aliquâ corporis parte spi-  
ritus impressionem , ab objectis acceptam , per ner-  
vos ad commune sensorium perferant , ibidemque  
quandam sensationis externæ perceptionem internam  
efficiant , sicque *communis* , ut vocant , *sensus* actum  
eli-



eliciant. Post ubi percussio ista spirituum valida factis & fortis fuerit, orta quoque exinde spirituum motio aliquandiu durat, & intra fibrillas istas cerebri continuatur, sic, ut spiritus certo quodam circulentur quasi, aut gyrentur modo, meentque ac remeant, eandemque viam saepius terant, & huic circulationi, vel motioni aliquoties repetitæ, fibrillas istas cerebri minimas, hujus omnium optimè capaces, assuefaciant, ipsæque tandem assuescant; quæ omnia *Phantasiæ* adhuc sive imaginationi transcribenda esse putamus. Denique cum fit, ut spiritus vel eodem vel simili objecto percussi, vel etiam sua ipsorum agilitate conciti, moveantur denuò: tunc, ubi inter movendum fibrillæ cerebri, priori motui assuetæ, currentibus spiritibus similem antè facti cursui viam, ultrò quasi aperiunt, sicque eosdem eodem prorsus modo, quò antea, moveri faciunt; tunc, inquam, memoriâ illud repetere dicimus, quod antè jam nobis cognitum perspectumque fuit.

§. XIV.

Ex allatâ hâc hypothese, quæ mihi quidem visa fuit optima, nunc facilè doceo, in quoniam memoriabilitas, cujus gratiâ hæc singula attuli, consistat. Scilicet cerebri non unum in omnibus temperamentum, nec una eademque fibrillarum ejus constitutio est. Gaudet namque cerebrum in hoc complexione sicca magis, quam humidâ, in aliò magis humidâ, quam sicca: Sunt quoque fibrillæ cerebri in aliò molles maxime ac flexibiles, in aliò verò crassæ & rigidæ, atque adeò minus tractabiles. Sicubi itaque cerebrum hominis humoribus scatet nimis, ejusdemque adeò fibrillæ plus justò molles ac flexiles sunt, non potest nisi memoria ejus felix quidem in capiendo, infelix verò in



retinendo esse. Ratio nunc patet clarè : quia nempe fibrillæ istæ molles nimis ac flexiles, facilè quidem certo spirituum motui assuescunt, sed propter nimiam mobilitatem & mollitiem facilè quoque desuescunt : perinde ut ( liceat rem crassò quòdam, sed ultra tertium non extendendò, simili explicare ) tenerrimi quoque arborum ramusculi vento, ex certa regione aliquot diebus spiranti, facillimè quidem cedunt, illique motui, qui iisdem imprimitur, haud difficulter assuefiunt, facilè tamen, si aliis diebus alii venti fuerint, in aliam quoque partem flectuntur, & noviter exortæ auræ ejusque motui obsequuntur.

§. X V.

Hanc inter genuinas labilis memoriæ causas præcipuam esse reor, non solum in unoquoque homine, qui hoc naturæ vitio per omne vitæ spatium laborat; sed etiam in pueris, quorum nonnulli ad tempus saltem memoriâ non satis fideli utuntur. Etenim in iis plerisque *cerebrum quasi aqueum esse*, ut *Grandius* loquitur, ac proinde nullarum impressionum diu retinens, & communis Anatomicorum probat opinio, & *αυτοψία* ipsa docere potest. Nec dissentit prorsus *Philosophus*, qui pueros *ἀμνήμονας* vocat L. de Mem. & Rem., tum propter humidius temperamentum, tum etiam propter augmentum. In quò, mirum! ex assese concordat cum eò *Ant. le Grand*, ita : *Cum pueri, scribens, Hist. Nat. P. 9. art. 7. n. 1., & infantes continuo augeantur, illisque semper aliquid novæ substantiæ accedat, plura in cerebro spirituum animalium transcursu efformata, facile pervertuntur, & pristinum suum ordinem amittunt.* Addi etiam potest, pergit post pauca, quod *puerorum cerebrum nimis molle ac humidum sit, ut tenaciter commissa retineat : Nam li-*

ces



et facile ea recipiat, non tamen eorum distinctionem retinet, perinde se habet, ac lutum plurimè aquâ maceratum. Ubi quidem hoc præcipuè observo, posteriorem Aristotelis, Grandiivè priorem, causam infirmæ memoriæ, id nominis vix tueri posse. Neque enim videtur verosimile, augmentationem cerebri, quæ, si ullâ aliâ, in hac certè corporis parte, ut ita loquar, lentissima est, efficere posse, ut quod v. c. puer nudius tertius didicit, hodiè reddere amplius nequeat. Quis enim credat, tantillò temporis spatio ita augmentam fuisse cerebri puerilis substantiam, ut vestigia memoriæ perversa penitus sint, ordinemque suum prorsus amiserint. Ut taceam, hoc, si verum esset, in omnibus omnino pueris animadverti debere, quia in omnibus augmentatio obtinet: At verò experientia docet, reperiri nonnunquam pueros, qui rem semel comprehensam diuturno post tempore exactissimè repetant.

§. XVI.

Interim tamen *labilitatis* memoriæ originem non solis fibrillis, earumve constitutioni tribuam; sed spiritus quoque animales, immediata hujus facultatis organa, persæpè in culpâ esse, fibens concedam. Quis enim dubitet, Spiritus istos interdum particulis activis (loquor cum *Willisio* Exerc. de An. brut. II. c. 13. p. 492.) ferè destitutos, quasi vappidos & effætos fieri, tunc nimirum, cum particulæ spirituosæ, quæ præpollere debebant, aqvosis ac terrestribus (ut iterum loquitur *Willisius*) immerguntur, ac insdem obrutæ quasi deprimuntur. Quod si ergò cum spiritibus in aliquò subjectò sic habet, tunc ita necessariò torpidi & fegnes, tardi que & ad imprimenda cerebro vestigia inepti sunt. Unde tarda pariter ac labilis memoria oriri, & Phlegmaticorum propria esse videtur.

§. XVII.

Quæ abs his causis (quas ex naturalibus præcipuas esse autumo, & alias de industria prætereo) pendet memoriæ infidelitas, ea exercitatione sedulâ feliciter salis corrigi potest. Sic enim non spiritibus saltem torpor sensim excutitur, verum etiam fibræ cerebri à spiritibus identidem agitatae, paulatim quasi exsiccantur, ac magis solidæ, hincque, quod consequens est, ad recipienda vestigia magis idoneæ

reg



redduntur. Unde experientia testatur, complures infidelissimam antè memoriam suam exercitatione ita excoluisse, ut quicquid memoriam deinceps probè mandârint, id longò post intervallò dexterrimè reddere potuerint. Quid? quod exercitatio tantam huic facultati promptitudinem conferre apta sit, ut ea suò officio, nobis etiam non advertentibus, fungatur. Quotusquisque enim est, qui cantilenam quandam aut orationem, vel id genus aliud, perinde atque *Appollonius* hymnum *Simonidis*, in laudem memoriam compositum, frequenter decantat, aut repetit, nec tandem memoriam ita facilitatam ad reddendū sentit, ut illud, sine omni accedente iudicii operâ, imò aliud prorsus cogitando, felicissimè rursus expromat. Profectò tam verum hoc est, ut in quotidianis precibus, ac hymnis sacris, quàm plurimis proh dolor! usu veniat. Atque hinc est, quod puerorum jam memoriam exercendam atque assuefactione corroborandam esse *Plutarchus* in aureo suo de *Pueror. Instit.* libellò, graviter monet: & sic etiam tandem obtinet, quod de puerili ætate *Barclajus* Jc. an. c. i. p. m. 24. & 25. ait: *Est à naturâ illis annis dos sua atque census, ut scilicet capacis facilisq; memoria, quæ in pueris summa est, & quicquid iis temporibus acceperit, pertinaci felicitate servatura.*

§. XVIII.

Cæterum etiam si medicamentis, prudenter ac circumspectè adhibitis, suum hîc locum lubens relinqvam, mihi tamen de iis tradere nec fas, nec mens est. Num imaginibus, characteribus, locationibus, aliisque, occurrî defectui huic, & debili memoriam succurrî queat, nunc non disputo. Res ex tot exemplis nimis clara est. Num verò tam utilis, quàm vera, ambigo. Id persuasissimum habeo, quod, quicquid memoria hæc artificialis felicitatis habet, hoc exercitationi partim, partim iudicio debeat. De cætero placet de ea illud *du Hamel* L. I. de Corp. an. c. 6. n. 7. *Ars illa hanc habet vim, ut memoriam, quæ in nobis est à natura, confirmet, non ut eam, si nulla sit, pariat & procreet.*

§. XIX.

Sed hæc hæctenus. Unicum superest: descriptio nempe *Memoria labilis*, supra promissa, & omnem dissertationis nervum exhibens, ita ferè informanda: *Memoria labilitas est quidam facultatis memorandi defectus, quò animal propter nimiam præcipuè fibrillarum cerebri mollitiem, impressiones vel motus spirituum, in iisdem factos facile quidem excipere, eorundem tamen vestigia diu conservare non potest, crebrâ exercitatione cum primis corrigendus. Tantum!*

SOLI DEO GLORIA.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

digitalisiert von: 3335410 49 misc. 4

SLUB DRESDEN



3 0164383



